



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||  
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per  
Quæstiones explicatur**

**Eisengrein, Martin**

**Ingolstadii, 1577**

**VD16 E 795**

XXI. V. Circumstantia personae necessariò sit confitenda.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30362**

Verùm quicquid sit de his dicendi modis, videtur nunc breuiter, quòd siue homo cõmittat peccatum opere, siue sola voluntate, in loco vel tempore sacro, potest se tripliciter habere: Vel enim in loco sacro peccat sciens & prudens, vel ignoranter, idq; crassè, seu affectatè, vel per ignorantiam inuincibilem.

Si primo modo, non dubito, speciale peccatum committi, ratione loci sacri, qui ad colendum D E V M specialiter est dedicatus, & consecratus, ratione cuius, illi sua debetur reuerentia; ac proinde qui in tali loco scienter peccat, videtur specialiter offendere D E V M.

Similiter, si peccet in loco sacro ex ignorantia crassà; quia cùm extenuet ignorantia crassà, non excuset in vniuersum à peccato, licet non nihil tamen definit peccare contra D E V M. Exemplum est clarum; si quis sacris initiatus sit ordinibus, velit vxorem ducere, siue sciat, aut aduertat, non dubium, quin peccet ob circumstantiam personæ, seu voti.

Si verò inuincibiliter ignoret homo ille, se in loco sacro, vel tempore sacro peccare; tunc non duplici, sed simplici peccato peccat; nec opus est circumstantiã in hoc casu confiteri.

*Estne circumstantia personæ necessariò confitenda?*

*Quæstio  
XXI.*

F 7

Dubium

Caput III. De Qualitate

*Responſio.* **D**ubium nõ est, quin personæ circumſtantiam oporteat confiteri, cum peccatum cũ genere vitæ pugnat, Verbi gratia: Si quis sacris initiatus ordinibus ignoto cõfiteatur Sacerdoti, quòd fornicatus fuerit, cum istud peccatum voto castitatis aduerſetur, etiam se Sacerdotem esse, debet manifestare.

*Quæſtio* *Estne circumſtantia loci necessariò*  
XXII. *confitenda?*

*Responſio.* **S**olum in tribus peccatis est necessariò cõfitenda, scilicet in furto, effusione sanguinis, & effusione seminis in Ecclesia, idque siue reipsa fiat in templo, siue solo cogitationis cõsensu. Cuius rei ratio, quòd in hoc triplici genere peccati, præter turpitudinem actionis aut cogitatus, etiã iniuria fiat DEO, sacro loco in cultum Diuinum destinato & consecrato. Credo, quòd non sufficeret furari in Ecclesia ad hoc, vt fit sacrilegium, nisi res esset Ecclesiæ. Et effusio sanguinis debet esse notabilis.

Prætereà, si quis in hæc tria, vel eorum vnum aliquod perpetrandum extra Ecclesiam consentiat, adhuc versans in Ecclesia, non est sacrilegus: Si verò extra Ecclesiam consentiat in aliquod horum faciendum intra Ecclesiam, tenetur confiteri de hac circumſtantia, quia iam fit iniuria loco.

*Estne*